

n'a pas le B. ex lib. / 4. Rennes  
RTP 597p

# CARMINA

AUCTORE

J. V. SCHEIL



SOCIÉTÉ GÉNÉRALE D'IMPRIMERIE ET D'ÉDITION

71, RUE DE RENNES, 71

PARIS

Bibliothèque Maison de l'Orient



129758

597p

RTP

RTP 597p

# CARMINA

AUCTORE

J. V. SCHEIL



SOCIÉTÉ GÉNÉRALE D'IMPRIMERIE ET D'ÉDITION  
71, RUE DE RENNES, 71  
PARIS

# CARMINA

## LIBER I

---

### I

*Carmen semisæculare* (1868-1918)

(à l'École pratique des Hautes Études,  
section d'Histoire et de Philologie.)

O Altiorum nobilis Artium  
Doctrix et altrix, curriculo tuo  
Natale sic præsensit astrum  
Ut tibi sub trabibus supernis

Ortum daret! Sic cœlitus ætheris  
Primum micabas lumine, proxima  
Obtutibus phœbo! — Probavit  
Signa aquilina tenor laborum.

Si quid papyro cauta recondidit  
Ægyptus, Assur sive laterculis,  
Arcana venantes habere  
Ædipodes, schola, gloriaris.

Quandòque Clio si bona torpuit  
Horum lucernis evigilat loquax :  
Passim resurgunt mox soluto  
Septuplici populi sigillo.

Hùc affluunt a cardine quolibet  
Maturiores ingenio viri,  
Hìc more fraterno vicissim  
Circulus utitur æmulorum.



— 5 —

Hic infulâ nec non cathedrâ sine,  
Comis magister sic docet asseclas,  
Ut duplicatâ largitate  
Et videatur amicus et dux.

Bellè vocare a munere *practica* :  
Re nomen exples. Nonne foret meram  
Inane doctrinam sonare?...  
Experimenta sed apta curas.

Vixti brevis jam grandia, scamnum  
Latè tuum quum fulsit ab angulo :  
O ter beatus sæculare  
Qui poterit tibi ferre carmen !



II

*Le code de Hammurabi (1902)*

*(Prologue)*

Ex Susiano pulvere proditas,  
Leges libellus continet hic sacras  
Quas undecim sæclis, Lycurge,  
Te prior, Hammurabi coëgit.

Terris remotis imperium suum  
Quum protulisset, par sibi visus est  
Pacis labori dictus, idem  
Legibus ædificans et armis.

Assumpsit hæres jus veterum pius,  
Sed consulens ævo et propriis gregi,  
Disjecta complevit statuta,  
Inque perutile Corpus auxit.

Huic supparem nec posteriùs Babel  
Cognovit, Assur nec tulit æmulum, —  
Cujus jubentis vel vetantis  
Floruit auspiciis Mat Accad. (1)

Oblivionem post babylonicas  
Clades perennem ne timeat pati!  
Expertus eclipses iniquas,  
Longiùs haud cohibetur umbrâ.

Quos nesciebas finibus emicas  
Nunc ultimis. Quis Codicis inscius  
Recens reperti vult haberi?  
Quo satis et mihi laudis exstat :

(1) Nom du pays où régnaît Hammurabi.

Cùm vix bilinguis natus eras homo,  
Nunc plurimis es factus idoneus  
Sermonibus, totoque in orbe  
Hammurabi, legeris, probaris!

Hoc nec vagari fortuitis dii  
Sivere tectis juridicum caput,  
Terræ locârunt umbilico  
Altera quo « Babylon » resedit.





III

*La Réforme des Études* (1923)

(à L. B.)

Jam pauca myrtis hortus Apollinis  
Exculpta habet, nec plus hederâ viget :  
Evincitur laurus phaselis,  
Lilia spernit olus coquorum.

Vinclum parentum rumpitur aureum,  
Antiquiorum spiritus et lepor  
Parvi fit et labente pennâ  
In bona deferimur minora.

Jam disciplinis Mercurialibus  
Perquàm vacatur. Non ita pristini  
Insueverant nosmet magistri,  
Attica qui fuimus propago.

Evhoe, retorsit publicus impios  
Leo Minister, nuper et auspicem  
Cyclum novavit Litterarum.  
Hæc licet abstulerit quis audax,

Vindex bonarum diceris Artium !  
Grates rependit docta tibi Cohors :  
Si vox tubæ quosdam canora,  
Me modulans et avena solvet.



IV

*Assyriologie et poesie* (1924).

Jam laxiùs cur molior ardua,  
Cur invidendas et babylonicas  
Gazas casâ permuto parvâ,  
In mediis Heliconis hortis...

Nemo querellis insimulet reum !  
Quâ luce natus sum volo perfrui :  
Virum quidem si pavit Istar,  
Lacte priùs puerum Minerva ;

Instruxit ardens igne meridiem  
Šamaš (1) meum, nec deseruit senem,  
Sed Phœbus, o quam blandiore  
Mulsit alens radio juventam !

Indurat autem barbarus indolem  
Cultus : tumentes discipuli Nabû (2)  
Desæviunt verbo procaci  
Moribus asperioribusque.

Quandôque cunas hinc juvat exsulem  
Gressu pio me visere candidas :  
Humaniolem sola finxit  
Cecropiæ Latiique norma.

(1) Nom du dieu Soleil chez les Sémites.

(2) Le dieu des Lettres, chez les Babyloniens.



V

*Regrets.*

*En souvenir de J. Et. Gautier (1924).*

Laude dilectum Stephanum supremâ  
Prosequi par est, mediis ab annis  
Corda qui promptus studiis gerebat  
Proxima nostris.

Doctus antiquis bene disciplinis,  
Tigris, Euphratis, Syrias Orontis  
Trivit oras et baculum viator  
Abluit undis.

Sæpius Nilo populoque visum  
Persiæ et Kurdis tribubus : cavator  
Acta priscorum latebris ab imis  
Abdita prompsit.

Magne rex User-tesen, ex Amenti  
Ære te quisnam proprio redemit ?...  
Quis tuum nomen tibi vindicavit,  
Optime Sargon ?...

Gualterus plures titulos peritus  
Juris et legit Babyloniorum,  
Editis luci tabulis figlinis  
Dilbatis urbis.

Artis apparet figularis ortus  
Musiân, pictis satis et venustis  
Vasculis ! Mirum fodiens quotena  
Extulit orco !

Nos juvat grates etiam referre  
Maximas, pulchrè Stephanus quod Aulis  
Luparis cessit tot adepta claræ  
Pignora famæ.

Fibulæ nullam precibus poposcit  
Vittulam, certus pretiosiore  
Præmio sese fruiturum in ævum  
Munere Clius.

Pace nunc Christi requiesce salvus !  
Qui fuisti vir sapiens, facetus,  
Strenuus, mitis, probus et modestus,  
Vive valeque !





## INDEX CARMINUM

---

Ex Susiano.....	II
Jam laxiùs.....	IV
Jam pauca.....	III
Laude dilectum.....	V
O Altiorum.....	I





ERRATA LIB. IV Epigrammatum

---

Epigr. XXX. v. 4, rempacer *cognosce* par *recense*.

Epigr. XXXI. v. 10, rempacer *neminem* par *nullum*.

---

PARISIIS

Kal. Januariis 1925